

„caro de carne mea: haec vocabitur virago, quia de vito sumpta „est“? Similiter et falsus fuit Ecclesiastici auctor opus est, qui primorum parentum creationem commémorans cap. xvii. ait: „Deus „creauit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit il- „lum: creauit ex ipso adiutorium simile sibi“. Falsus item Paulus, qui vt probat, oportere muliereni viro subesse, in 1. ad Corinth. scribit: „non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro“. Neque enim haec, et his similia quamplurima componi cum ea sententia pos- sunt, quae mulierem vna cum viro a Deo eadem prorsus ratione formatam dicit. Quid ergo? Recedendum a proprio et litterali Scripturarum sensu erit, vt ad metaphoras veniamus, easdemque apre- mus? Aberrare hoc esset, ea a vera Patrum semita deviare: quorum perpetua, constans traditio est pro Mosaicæ huius narrationis veritate adserenda. Ergo quae de productione primæ mulieris in Ge- nesi scripta sunt, historicæ et litteraliter, non translate accipienda sunt, nisi in errorem prolabi velimus. Sed de his abunde infra.

## CAPVT IV.

*Errorum his veritatibus contradicentium notitia exhibetur:  
fundamenta eruuantur.*

In primi hominis, ceterorumque proinde, anima peruerse nimis, im- maniter etiam, erratum esse, Augustinus testatur (1), vbi quedam enumerat aperte peruersa, et fidei catholicae aduersa, quorum pri- mum illud est, Deum non de nihilo, sed de se ipso animam fe- cisse. Ethnicorum ferme omnium hinc error olim fuit, quorum alii animam diuinæ aurae particulam, vt Horatius, alii aetherium sen- sum, vt Virgilius, alii tandem a coelesti arce dimissum sensum, vt Iuuenalis, vocarunt. Et hunc errorem ex duabus antiquorum positio- nibus originem ducere, his verbis S. Thomas declarat (2): „primi „qui naturas rerum considerare cooperant, imaginationem transcen- „dere non valentes, nihil praeter corpora esse posuerunt, et ideo „Deum dicebant corpus quoddam esse, quod aliorum corporum iu- „dicabant esse principium: et quia animam ponebant esse de natu- „ra illius corporis, quod dicebant esse principium, per consequens „sec-

(1) Lib. iii. de Origen. animae,  
cap. 15.

(2) Prima Parte, quest. xc. at-  
tice, 1.

„sequebatur, quod anima esset de substantia Dei, iuxta quam po- sitionem Manichæi Deum esse quandam lucem corpoream existi- mantes, partem quandam lucis illius animam esse posuerunt cor- porti adligatam“. Arque hunc teterimum errorem a Priscillianistis IV. Ecclesiae saeculo aptatum, et in Hispaniis longe lateque grasa- sanctem Synodi plures anathematizarunt. Has inter Toletana I. de re- gulis fidei disserens cap. xxi. his verbis: „credimus et animam ho- minis non diuinæ esse substantiae... sed creaturam dicimus, Dei „voluntate creatam... si quis dixerit, vel crediderit animam huma- „nam Dei portionem, vel Dei esse substantiam, anathema sit“. Item Braccarensis I. Can. v. definens: „si quis animas humanas, vel An- gelos ex Dei credit substantiam exitit, sicut Manichæus, et Priscil- lianus dixerunt, anathema sit“.

Alterum erroris fontem indicat laudato loco S. Thomas, scri- bens (3): „secundo vero processum fuit ad hoc, quod aliqui quid- piam incorporeum esse apprehenderunt, non tamen a corpore se- paratum, sed corporis formam: vnde et Varro dixit, quod Deus est „anima, mundum intuitu, vel motu et ratione gubernans, vt Augu- stinus narrat lib. vii. de Ciuit. Dei, cap. 6. Sic igitur illius totalis „animæ partem aliqui posuerunt animam hominis, sicut homo est „pars totius mundi, non valentes intellectu pertingere ad distinguen- dos diuersos spiritualium substantiarum gradus, nisi secundum di- stinctiones corporum“. Fuit et Stoicis hic error communis, quibus mundus totus non solum sapiens, sed et Deus erat, vt apud Cice- ronem Cotta Academicus refellit (4). Fuit quoque Spinozæ, impensisimo certe homini, familiaris, si iis qui illius opera sedulo legerunt, fides danda. Est denique et hac tempestate, eorum qui puræ ratio- nis cultores sese produnt, quos Deistas vocamus, quum gentile illis sit, sua Religionis fundamenta loco ponere, Deum non mundum ipsum, sed eius animam esse, materialem illum quidem (quum nullus sit spiritus) subtiliorem tamen, delicatioremque materiae portionem: atque „omnes hominum, ac bestiarum animas, animæ mundi parti- culas esse, quae dissoluto, quum moriuntur, corpore, iterum cum „suo tote miscentur, ac confunduntur, vasorum instar esse, quae „aqua plena in mati natarent, quorum, si frangantur, aqua cum „mari commiscetur, non adiam esse singularum animalium sortem,

Tom. II.

V

„quan-

(3) Vbi supra. (4) Lib. iii. de Natur. Deorum, num. 9.

„quando organa , quibus constrictae sunt , morte soluuntur ; tunc „enim corporis cum terra , seu crassiori mundi parte , animae vero „cum subtiliori , seu cum mundi anima , quae Deus est , fit conun- „ctio“. Ita delirant hodierni Religionis naturalis adseclae , quorum omnium sensum vnu Bayle multis exprimit (5).

De origine autem animae dubitatum olim quoque apud antiquos , ac turpiter erratum fuit. Origenes ille est , qui per vniuersam Christi Ecclesiam errorem illum disseminauit , non primi hominis solum , sed et omnium hominum animas diu ante corpora simul cum Angelis fuisse creatas ; illud existimans , spirituales omnes substantias conditio naturae aquales esse , et solo merito distare , adeo ut eorum quaedam , hominum nimirum , vel coelestium corporum animae corporibus fuerint adligatae , aliae vero secundum diuersos ordines in sui puritate permanserint.

Non ita tamen de aliorum dubiis , et opinionibus audemus prouniare. De questione enim difficultima , an nempe ex nihilo anima crearetur , impune , quin et laudabiliter a Patribus olim dubitatum iure optimo est. Quac enim ex Scripturis argumenta petuntur pro animae creatione ex nihilo haud videntur rem definire. Hinc Belarminus ait (6) : „vt S. Augustinus disputat in Epist. xxviii. ad Hieronymum , nullus fortassis Scripturae locus inuenietur , in quo perspicue doceatur , animum non fieri , sed creari“. Quare nihil mirandum , Augustinum dubium haesisse in dogmate perdifficili , quod nullo certo argumentorum genere resolut potest. At haeserunt quoque dubii , praeter Augustinum , Eucherius Lugdunensis Episcopus , (7) Africani Patres (8) , Fulgentius (9) , Gregorius Magnus (10) , aliquie. Qui omnes , quaestionem dubiam esse , insolubilem , multum discussam , sed absque certa definitione relictam , scribunt.

Sed Augustinus , ais , in ea etiam opinione fuit , vt primi hominis animam ante corpus cum Angelis creatam fuisse sentifer , quod in Origene damnatum vidimus. Minime. Nam ipse Augustinus in ea non constanter , sed haesitanter fuisse opinione aperte nimis declarat , scribens (11) : „credatur , si nulla Scripturarum auctoritas , seu ve-

ri-

(5) P. 2631.

(6) Lib. iv. de Amiss. Grat. cap. 12.

(7) Lib. i. super Genes. cap. 3.

(8) In Epist. Synod. cap. 10.

(9) Lib. iii. de Verit. Praed. et Gra-

tiae , cap. 20.

(10) Epist. ad Secundinum.

(11) Lib. vii. supra Genes. ad litter.

cap. 9.

„ritatis ratio contradicit , hominem ita factum sexto die , vt corporis quidem humani ratio caussalis in elementis mundi esset , anima vero iam ipsa crearetur“. Vnde S. Thomas pro eximia qua Augustinum perpetuo prosequitur reuerentia , hanc eius opinionem benigno interpretatur , et nonnullam nititur ei veritatis speciem conciliare (12).

Et his de primi hominis anima erratis , ea modo quae de illius corpore , deque mulieris formatione dicta sunt errando , adiungare placet. Fuere Hebrei nonnulli , qui stultissime commenti sunt , tale a Deo Adami corpus formatum , quale est infantis recenter e vulva effusus : alii contra adeo immanis , proceraeque statuae , vt nec Poëtarum Titanes , qui Dilis bellum intulisse feruntur , eo fuerint maiores : quam sententiam Iohannes Lucidus amplexus est (13). Tandem alii biforme , et vtrumque sexum referens ; quod commentum mirandum certe est , ab Augustino Stheuco Eugubino , Viro ceteroquin doctissimo , et peracuto , adoptari potuisse. Verum sic res habet. Muit autem cum quod a Mose scriptum est de hominis creatione , scilicet : „ad imaginem Dei creavit illum , masculum et foeminam creavit eos“ . Quam vero leuiter , inferius constabit.

Narrationem quoque , qua Euae formatio a Mose traditur , Philosophi , ac Poëtae Ethnici inquinarunt , ac corruerunt. Plato librorum Mosis expilator , fabellam eudit , cuius , a Rabbini postmodum , deinde ab Eugubino adoptatae , modo meminebamus. Hesiodium etiam Cyrus Alexandrinus , aliique reprehendunt grauiter , quod praeposterite in libris Mosis confuderit , turpiterque vitauerit quae de mulieris formatione traduntur , vel inscritia deceptus , vel incredibili illa , quam sibi Poëtae adrogare solent , fingendi licentia : commensus enim est , iratum mortalibus Iouem , vt eos pestilenti , blando tamen malo multaret , formandas mulieris Vulcano fallacibus pigmentis linendae Palladi , prauis moribus , fallacibusque artibus imbuedae partes Mercurio demandasse ; quo factum est , vt e foemina , quam Pandoram dici voluit ita efformata , ac instituta , omne malorum genus in orbem terratum eruperit.

Sed hos mittamus : atque Caietani de hac ipsa narratione sententiam declaremus : dolenter quidem potius quam contumeliose , tamquam Viri ceteroquin doctissimi , optimeque de Ecclesia meriti : is er-

go fuit Caetanus , qui non dubitauit solum , sed et constanter adseruit , quae de mulieris formatione Moses tradit , non verae historiae , sed parabolac loco esse habenda : neque veritus ille est a communi Patrum , Interpretum , ac Theologorum sententia recedere ; quare a nonnullis , qui haeresum historiam contexerunt , inter hereticos relatus est , non inique tamen solum , sed etiam inscite : quium pernatum , exploratrumque sit , subiecisse illum quaecumque scripserat Romanae Ecclesiae iudicio , et correctioni . Quid ergo ? Num huic Caetani errori parcemus ? Immo quam sibi ille adtribuit communem veterum sensum interpretandi immodicam licentiam , eisdem , quibus Cl. Melchior Canus , sodalis ac concolor homo fecit , et verbis , et argumentis insectari , ac comprimere pergitus (14) : «ego Virum hunc , »ait Canus , vt saepe alias testatus sum , semper feci maximi ; plurimum enim Ecclesiam Christi suis operibus iuuit . Longum autem est , hominii commendare siue eruditionem , siue ingenium : molestum etiam vniuersa ipsius opera commenmorare . Illud breuiter dici potest , Caetanum summis Ecclesiae aedificatoribus parem esse potuisse , nisi quibusdam erroribus doctrinam suam , quasi cuiusdam leprae admixtione foedasset , et vel curiositatis libidine affectus , vel certe ingenii dexteritate confusis , litteras demum sacras suo arbitratu exposuisset , felicissimo quidem fere , sed in quibusdam paucis locis , acutius sane multo , quam felicius : nam et vetustae traditionis parum tenax , et in sanctorum lectione parum quoque versatus ; libri signati mysteria ab his noluit discere , qui non suo sensu illa , sed malorum traditione , vera scilicet Verbi Dei clave aperuerunt . Ita quum plurima scripsisset egregie , vertit ad extremum omnia , et nouis quibusdam Scripturae expositionibus , aliorum , quae vel gravissime dixerat , aut eleuauit , aut imminuit certe auctoritatem . In uitio quidem facio , vt doctissimum virum nomine etiam expresso reprehendam ; sed cum nominis , ac gloriae celebritas hoc loco a Lutheranis obiceretur , notandum temeritatem putauim . Hacc ex Cano transcriptissimum vt Caetanum redargueremus , blande quidem , non acriter , quemadmodum Catharinus , et ipsius sodalitii homo inuenitur , nec sine causa : porosissimum quum erroris huius vel maxime necessaria refutatio sit hac aetate nostra ; nam et inde ansam incredibili solent arripere ad vniuersae historiae sacrae veritatem repudiandam , contumendamque .

Quan-

(15) Lib. vii. de Locis Theolog. cap. 3. concl. 5.

Quando autem haec omnia errata , simul et eorum praecipuos auctores , ac sectatores meminimus , fundamenta , si quae tamen eiusmodi sint , breuissime licet , et proferre , et enarrare tentabimus . Haec ergo obicitur , qui primae veritati contradicunt . I : mentem humanaν adolescere et minui videmus ex eo , quod cognitionem iuvenes adquirant , qua pueri carent , et mentis acies , quae in illis viget , in his hebescit , atque in omnibus item obtunditur : at quod adolescit , et minuitur corporale est et extensem , nullo repugnante : humana igitur mens non spiritualis , et incorporea , sed corporea , et extensione praedita est .

II : esto in humanae mentis idea nulla corporea percipiatur extensio : minime inde colligere possumus , eam a materia extensa diversam esse : enim , licet in diuinae iustitiae idea misericordia Dei non concipiatur , esse tamen vnam eademque rem , negari nequit .

III : Deus hominis animam creauit , vitae spiraculum in Adami faciem spirando , quemadmodum in Genesi narratur : spiritus ergo hominis halitus , ac afflatus Dei est : proinde ex substantia Dei productus . Neque enim ex hoc consequitur , Dei substantiam distumperi , ac diserpi , vt quibusdam visum est : qua siquidem ratione integrum lucernae ignis maner , tametsi de illa accendatur altera ; eadem , seu apius , consimili , absque suae substantiae diminutione animam rationalem de se ipso Deus creauit . Neque dum a nobis vter inflatur , aliqua portio naturae nostrae in illum infunditur : etiam Elisaeus Propheta puerum mortuum flando ad vitam restitut , quin ipsius substantiae portio aliqua absissa , et diserpta fuerit .

IV : ex Dei ipsis substantia nos esse propagatos , illud sati inuit , quod Act. xvii. Genus , hoc est , Dei progenies nominemur .

Aduersus secundam haec praecipue obicitur . I : Scripturae auctoritatem , quae firmare viderunt , pro conditione praecedentium merititorum animabus deputari corpora , aut munda , aut inquinata : dicunt enim Sap. viii. : «puer autem eram ingeniosus , et sortitus sum animam bonam : et cum essem magis bonus , veni ad corpus inquinatum ». Animae ergo , et ante corpora , et extra corpora creatae a Deo fuerunt .

II : quam Origenes docuit sententiam Augustinus etiam tradit , qua suam de simultanea rerum creatione doctrinam tutetur . Nam scribit

bit (15): „credatur ergo , si nulla scripturarum auctoritas , seu veritatis ratio contradicit , hominem ita factum sexto die , vt corporis quidem humani ratio caussalis in elementis mundi , anima vero iam ipsa createtur , sicut primitus conditus est dies , et creata lateret in operibus Dei , donec eam suo tempore sufflanto , id est , inspirando , formato ex limo corpori inserceret“. Iniuste igitur velut error illa traducitur.

III : communis hominum sensus hanc ipsum opinionem firmat. Etenim , eam habuisse Ethnicos liquet apertissime ex Panegyrico Theodosio Imperatori dicto , vbi legitur , quod „diuinus animus venturus in corpus , dignum prius metatur hospitium.“ Iudeos in eadem fuisse , eorum interrogatio apud Ioannem cap. ix. facta suaderet , nempe : „quis peccauit , hic , aut parentes eius , vt coecus nasceretur“? Quin et ex Ecclesiae Patribus extat Hieronymus , qui sententiam hanc de animarum praecexistencia refert , nec tamen redarguit (16). Vera ergo illa sit oportet , quoniam omnes plane gentes quodammodo ei assentientur.

IV : ratio tandem Origeniana sententias fauet. Rationalis enim anima immortalis remanet , dum moritur corpus : non ergo creaturem corpus producitur , sed praecistebat corpori.

Quod vero anima semine propagetur , et ex traduce fiat multa probare videntur. Praecipua sunt ista: I : creatio haec tria exigit , quod sit productio rei ex nihilo , quod sit ab agente supernaturali , et quod ad verum esse reale terminet : at anima non sit ex nihilo , vt ipsius a corporis temperie dependentia commonstrat : ergo illa non creatur , sed semine corporeo traducitur. Ad haec : anima talis est forma corporis , quae mediis subiectae materiae dispositionibus ab agente naturali inducitur : quod autem creatur non ita produci patitur. Praeterea: quidquid de materiae potentia educitur per semen propagatur: eiusmodi animam esse illud suaderet , quod corporis forma sit , et cum illo vnum constitut.

II : Augustini doctrina est (17) , paruulos originali peccato non obstringi , si animas singulatim a Deo singulis nascentibus inserantur. Id quod hac ratione confirmatur: qui adfirmant , animam creati , et tamen contrahere originale peccatum ex infecto corpore cui inest , eam coinquinari docent. Sed aliud est verba profundere , aliud sape-

re.

(15) Lib. viii. de Genes. ad litter. cap. 24.

(16) Comment. in Epist. ad Ephes. (17) Lib. de Orig. animae.

re. Demonstrent , inquit , quomodo anima trahat ex semine Adae peccatum , si anima nullam ex semine Adae ducit originem. Quum enim originalis peccati subiectum anima sit , si ex Adami semine illa non propagatur , neque peccatum poterit propagatione diffundi.

Accedit: quod si animus a Deo corpori insertus est , non ex propagine ac semine ; recte Pelagiani Catholicis obiiciebant , quod Deum faciant iniustum. Summa namque iniustitia censetur ea , quae spiritum mundum omnino , et incontaminatum , nihilque commune cum carne habentem , huic adligat , peccati maculis , poenisque subiiciendum.

III : gigni , ac propagari rationalem animam per hominis semen posse , quamvis semine perfectior sit , ex eo pater , quod etiam brutorum animae , perfectione eorundem semen excedentes , per illud propagantur : nam canis semen in animam canis producit.

IV : homo animam vegetativam , et sensitivam generat : quidni ergo et rationale , quum vna , eademque sit?

V: quod anima fiat ex propagine , et per traducem , sacrae litterae innuere videntur. Etenim Genes. ii. dicitur mulier sumpta a viro , neque in eius formatione legitur , Deum inspirasse in faciem eius spiraculum vitae : anima igitur mulieris prima ex primi hominis anima facta est , neque Deus aliam , quam primi hominis animam ex nihilo produxit. Similiter in cap. xi. legimus , quod prosectorus Abraham de Haran tulit Sarai vxorem suam , et animas quas fecerat in Haran. Et cap. xlvi. habetur: „cunctae animae , quae ingressae sunt cum Iacob in AEGyptum , et egressae sunt de forme illius“, cert. A generantibus igitur sunt animae , atque ex ipsorum femore egrediuntur. Demum : Apostolus ad Hebreos scribens cap. vii. demonstrat , Christi Sacerdotium nobilissimum esse Leuitico , quoni am illud praefiguratum est in Melchisedech , cui decimas omnium diuisit Abraham; ideoque , „et per Abraham Leui decimatus est : adhuc enim in lumbis Patris erat , quando obviauit ei Melchisedech“. At Leui non erat in lumbis Abraham secundum carnem: hominum ergo vniuersorum , Christo excepto , et caro et anima ex femore , lumbisque parentum propagatur. Haec Antonius Rocanus , insignis Peripateticus , argumenta obiicit (18).

Aduersus propositionem tertiam vnum illud Eugubinus opponit , quod supra indigitauiimus , scilicet : si Eua vna cum Adamo non fuisset

(18) In Lib. de immortalitate animae.

set producta, nec verum esset quod i. Genes. scribitur, nimirum: masculum et foeminam creauit eos; nec statim ei Dominus benedixisset dicens: crescite, et multiplicamini; nec mulier diceretur, ad imaginem, et similitudinem Dei. Non enim haec omnia in Genesi narrata forent, si mulier nondum tunc erat: simul ergo Deus hominem et mulierem condidit.

Tandem ultimae adscriptiones haec Caieteranus opponit. Plurima consequuntur obscura necesses est, nisi mulieris primas productionem ad metaphoram transferamus: primo quidem sequitur, Adamum, aut monstrum fuisse priusquam Eua formata fuisset, aut postea mancum et imperfectum remansisse, costa sublata. Secundo, quod si litteraliter accipiatur illud: *Adas vero non inueniebat adiutor similis eius*; videtur quaesitum inter animantium femellas, an aliqua esset ei in vxorem danda; quod Dei sapientiam, et Adami ipsius rectam dedecet rationem. Tertio, quod duplex fuerit mulieris productio, vna, qua simul cum viro facta est, altera, qua de illius latere fuit fabricata. Quarto, quod Deus protoparentibus dixerit, crescite, et multiplicamini, quando mulier nondum fuerat producta: item, quod falso scripturatur in Genesi: *masculum et foeminam fecit eos*. Denique, quod pugnantia ibidem dicta sint, nimirum, Deum, viro dormiente, eodem in loco Euan formasse ex illius costa, et eam ad Adam adduxisse: vt ergo incommoda haec vitentur, parabolica narratio tota habenda est.

Verum argumentationes istae facillime eneruari possunt. Itaque, quo ordine propositae sunt, eas soluere adgradmur. Primo quidem illas, quae primam propositionem oppugnant. Et ad primam dicendum: hominis mentem neque adolescere, neque minui personemetipsam, suamquam naturam; sed id de ea adfirmari secundum officium sensuum, quos vigere, crescere, ac minui intelligimus, quum tendines aetate aut durescant, aut laxantur; et quibus illa vitur ad suas, dum in corpore est, functiones exercendas; adeo ut facile, vel difficulter pro organorum dispositione, et motuum vicissitudine agat per oculos, aures, et reliqua instrumenta physica corporis.

Ad secundam respondeatur: quod quum iustitiae obiectum ab obiecto misericordiae diuersum sit; et virtusque idea ac conceptus distinguantur oportet: nam iustitiae idea rem tantum representat prout obiectum connotat extrinsecum: at mentis idea substantiam exhibet, quae cogitat, vult, dubitat; sicut notio corporis substantiam ma-

materiale, extensam, ac figuratam offert; atque diuersa haec mentis et corporis repraesentatio verum inter mentem cogitantem, et corpus extensem infert discrimen; hoc est, nemus inter obiecta istiusmodi, verum et inter substantiam et substantiam.

Tertiae difficultatis haec est solutio a S. Augustino tradita (19): „Quid est quod dicas eam particulam esse quandam halitus naturae Dei? Numquidnam ipsum halitus naturae Dei, cuius halitus est ipsa particula, negas eiusdem cuius Deus est esse naturae? „Si negas; ergo de nihilo et istum halitus fecit Deus, cuius halitus anima vis esse particulam. Aut si non de nihilo, dic unde illum fecerat Deus. Si de ipso; ergo ipse est, quod absit, materialis operis sui. Itaque ex Augustini sententia hominis spiritus halitus Dei ipsum est, eo sensu, quo Dei halitus ex nihilo productus est; non autem, quo halitus ipse, qui naturae Dei est, ille sit. Hoc enim de eo spiritu dumtaxat verum est, qui a Deo datum est, scilicet, de spiritu Sancto, qui a Patre Filioque procedit, quique et ex Dei substantia est, et ipse Deus est, eademque cum Patre et Filio natura: unde hominis anima, si de substantia Dei foret, et ex nihilo creata, Deus foret. Quod nec ipsi adversarii concedent. Neque exempla contra hoc faciunt. Etenim quum ex lucerna una altera accenditur, ignis quidem integer manet, sed alterius naturae numericae, ut loquitur Schola. Quid ergo inde? Deus, et anima ex substantia illius condita, eiusdem speciei individua erunt? Apage Deorum turbam.

Prophera autem Elisaeus flando puerum a morte repentes, substantia sua portionem haud illi communicavit; sed Dei virtute id factum est: adeo ut a vero exorbitare quammaxime, qui Elisaei flatum pueri animam fuisse putaret, eodem loco S. Augustinus multis ostendit (20).

Quartum sic solutio: Apostolus verbis illis vsus est, ut gentes ab idolatria reuocaret; velut hac vna ratione, quod genus Dei nos simus, et ab ipso vitam, et motum nanciscimur. Quare adiecit: „Non debemus aestimare auro, et argento, aut lapidi, sculpturae artis, et cogitationis hominum diuinum esse simile“. Itaque germanus priorum verborum sensus est, quem Paulus ipse expressit, adiens, quoniam „non longe est ab unoquoque nostrum: in ipso Tom. II.

(19) Lib. III. de Orig. anim. ad Vincent. Vict. cap. 3.

(20) Vbi supra cap. 5.

„enim vivimus , mouemur , et sumus“. Hoc est , posse nos homines Deum querere , et mente ad illum accedere , atque caritate , et dilectione filios Dei nominari , et esse : ex hoc vero quod quis factum hominem ex Dei substantia intelliget ?

Secundi ordinis argumenta hoc modo soluuntur . Primum quidem obvia Scripturae verborum expositione . Planissimus enim sensus est , Salomonem adhuc puerum optima indole , ac temperamento fuisse praeditum , eius quoque animam vitium aliquod naturale non habuisse ; quumque esset diuinae gratiae auxilio magis bonus , carnis muiditatem diu seruasse ; atque id adsequutum fuisse , ut in mortali corpore caste viveret , ex totis praecordiis Deum precatus ne terrena inhabitatio sensum multa cogitantem deprimeret . Quod si huic textui Origenistarum interpretatio detur , quod inde sequantur necesse est ? Etenim si pueri anima bona erat , nec animae in corpus truduntur , nisi antea improbae illae extiterint , vt illis placet : ergo per summam iniuriam Salomonis anima , quae bona antea erat , ad corpus venit . Rursum , si quas Deus in corpora mittit animae pares natura sint , vt ipsi ponunt ; huius ergo pueri anima bona non erat , nec morum differentia ceteris melior . Sed nec etiam temperamento corporali ; nam vt ipsa praeserferunt verba , puer erat magis bonus , antequam ad corpus coquinatum veniret . Consultatur Augustinus (21) , qui et alteram responsionem subministrat , adducta Salomonis verba de Filio Dei , cuius Salomon typum gessit , accipienda esse , docens .

Secundi duplex est solutio . Prima negat , Augustinum in ea vma quoniam fuisse opinione , vt diceret , Adam animam captiuam ob culpae demeritum inuitam ad corpus venisse ; sed eo conditam fine , vt sponte corpus statim formandum ingredieretur ; neque aliud quid laudatum Augustini testimonium exhibet . Secunda autem solutio in id tendit , vt Augustinum a dogmate Origeniano liberet . Ac iure quidem , meritoque . Nam apertissime falsum est , hanc de Adae anima opinionem S. Doctorem tenuisse . Quod , dicta illius conferendo constat . Disputat enim citato loco , an anima producta una cum aliis creaturis sit ; atque cap . xxii . demonstrat , non fuisse conditam secundum rationem caussalem ; quia ratio haec caussalis in creatura corporea latere non potuit , quum anima spiritualis sit , et expers materiae . Dein proximo capite demonstrat , nec latuisse in natura

An-

(21) Lib . x . de Gen . ad lit . cap . 17 . et seq .

Angelorum rationem primordialem animae , quum anima Angeli filia non dicatur . Sequenti capite ait , quod humanae opinioni tolerabilis videtur , si adfirmetur , animam creatam quidem ab initio , sed latuisse in operibus Dei , donec formato Adami corpori insereretur . Sed hanc de anima in operibus Dei latente opinionem lectorum arbitrio Augustinus relinquit , hac prudenti cautione , si nulla Scripturarum auctoritas , seu veritatis ratio contradicit . Immo sequentibus capitibus totus ille est in refellendo illorum errore , qui animam venisse ad corpus coactam existimant . Quae certe non hominis cum Origene dogmatizantis , sed adcuratissimi Theologi probabilia ab erroneis secerentis argumenta sunt . Potissimum quum nec tolerabiliorem illam opinionem Sanctus Doctor amplectatur , vt ex verbis , quibus totam disputationem absolvit , liquet (22) . „Nunc tamen (inquit) de anima quam Deus inspiravit homini , sufflando in eius faciem , nihil confirmo , nisi quia ex Deo sic est , vt non sit substantia Dei , et sit incorporea , id est , non sit corpus , sed spiritus“. Quin se ipsum Augustinus prodit , suamque aperit mentem in libris de Civitate , in eam potius sententiam flectens quae animam corpore iam formato creatam dicit . Sic enim loquitur (23) : „Et cum virum terreno formasset ex puluere , eique animam quallem dixi , siue quam iam fecerat , sufflando indidisset , siue potius sufflando fecisset , eumque flatum , quem sufflante fecit ; nam quid est aliud sufflare , quam flatum facere ; animam hominis esse voluntiessen“ cert . Neque contraria habenda haec doctrina est ei quam de Augustini rerum simultanea creatione tradidimus , scilicet , sex prioribus rerum diebus omnia caussaliter fuisse producta . Nam hoc accipendum de his rebus est , quae in caussalibus rationibus latere poterant , a quorum genere hominum animas segregandae sunt . Itaque inspiratio , qua homo in animam viuentem factus est , ad productionem unicam hominis , in specie nempe sua , referenda est . Quod si praecessisse animam homini in operibus sex dierum dicere volumus secundum quandam similitudinem generis , prout conuenit cum Angelis in natura intellectuali , S. Thomam Magistrum habemus (24) .

In tertio soluendo non est cur in perscrutanda Platonicorum , vel Pythagoreorum opinione immoremur . Potissimum quum validiora sint argumenta , intelligibilia simul cum corporalibus producta common-

X 2

stran-

(22) Cap . xxvii .

(23) Lib . x . i . cap . 23 .

(24) Quaest . cx . art . 4 .

strantia, iis, quae adduxere illi, vt corporeis prius intelligibilia producta dicant. Neque enim exemplaribus ad construendum mundum summus ac sapientissimus Artifex Deus indigebat, in cuius sapientia rerum omnium faciendarum rationes continentur.

Quod spectat vero ad Iudeos, fuisse ex eis nonnullos, qui transmigrationem animarum crediderint, testis est Philo, Iudeus ille quidem. At illis interrogantibus respondit Christus: *neque hic peccauit, nec parentes eius*, actuali scilicet peccato, quale suspicabantur causam cæcitatibus fuisse. Itaque illius hominis anima ad corpus, oculorum acie priuatum, damnata non fuit ob actuale aliquod crimen.

De certero autem, Hieronymus in prima contra Rufium Apologia omnem a se erroris accusationem propulsat, dicens, se verecundiae studio Origenem non reprehendisse, quem Commentatoris officio unice fungeretur: atque in fine primi capituli Commentarii Epist, ad Ephesios satis ostendisse, longe sententiam suam distare ab ea, quam sub alterius nomine, et persona retulerat. Augustinus demum quod de anima coelestium corporum dubitauerat, hoc fuit tantum, num illa corpora rectores spiritus habeant; et si habent, num ab his vitaliter spirarent? Quod certe nihil cum Origenis errore affinitatis habet. Sed et hoc retractauit S. Doctor (25) quantumuis rationalis admodum, ac prudens ipsius aetate huiusmodi dubitatio fuerit, ut Norisius edisserit (26). Quartum verbo eneruerat: non detur rationalis anima in corporis interitu, quoniam illa corporalis non est, nec habet partes, penes quas dissoluatur. Tamen producitur una cum corpore, quia ipsis forma est. Sed quam diuersa productione! Corpus propagatione, anima creatione ex nihilo.

Ea vero argumenta, quae animae propaginem suadere videntur, quoniam sophistica illa sunt, sophistas nos quoque volunt. Ergo primum hoc modo solimus: anima in eo tantum a corpore dependet, vt munus suum erga corpus exercere possit, scilicet, formæ viuificantis, atque mouentis; minime vero dependet ab eo vt sit, neque vt intelligat res spirituales. Hinc liberum ei non est quodcumque corpus ingredi, quoniam regendo, ac viuificando corpori particulari destinata a Conditore ipso est. Recedit tamen illa a corpore, inuita quidem et reluctans, eo resoluta; quod in peccati poenam referendum est.

Et hanc quidem animae a corpore independentiam adducta exempla

(25) Lib. Retract. vlcimo cap. vii.

(26) Cap. iv. Vindic. §. 2:

pla suadent, vt cuique in mentem venit. Homo enim et sine domo, et sine nauigio vivere potest, quamvis eisdem, vt hospes, vel nauta est, indigeat absdubio. Sic et anima velut substantia spiritualis, nobilior corpore, nihil ab eo commodi percipit; percipiat licet vt corporis forma est, sensu exposito. Ergo et pendens, et independens vere illa a corpore est; sed ita pendens, vt ex nihilo facta sit.

Verum talis est anima corporis forma vt neutiquam de materie potentia valeat educi; nam nec corporea illa est, et extensa, neque a materia penderet vt fiat et conseruetur, vt supra dictum est. Sed neque corporeis indiger dispositionibus vt subsistat, sed vt sentiat, vitaque corporalis officia alia exerceat. Quid ergo? A corpore separata anima sentire non poterit? Ita sane, si sensationem dixeris sui corporis passionem, sive partium corporearum impressionem, et agitationem; non autem sensatione sumpta pro mentis humanae perceptione, excitata ex occasione, ac praesentia corporis peregrini ex. g. ignis inferni; nam anima sic sentit etiam a corpore sciuntur.

Quod secundo loco Peripateticus homo obiicit, maximam ipsius temeritatem ostendit. Etenim nec S. Augustinus de propagine animae per semen corporeum ymquam dubitauit, aut hoc ei in mentem venit; nec de propagine spirituali loquitur adsertive, sed vbique dubitat, ac difficultates proponit, vt Theologum prudentissimum possit agnoscere; nolens praeterea opinionem adserentem, ex una fieri omnes animas, discutere.

Neque adiuneta ratio aliquid probat. Quamvis enim anima rationalis per semen non propagetur, vitiatur tamen illa, atque corruptitur ex consortio corporis, quemadmodum in vase vitiato corruptitur aqua. Quomodo autem id eueniat, infra inquireremus, vbi de Originis peccato quaestio venerit exponentia.

Sed anima, ait ille, subiectum maculae originalis est. Vtique: et ex hoc capite illa incorpora et spiritualis demonstratur; quum peccatum aut. iustitia affectiones sint spirituum, non corporum. At accidentia, addit, de uno in alterum transfundi, subiecto non transfuso, nequeunt. Falso tamen id addit; quum videamus haereses, errores, vitia, lepram, pestem, aliaque eiusmodi contagias traduci; quod et docet Estius (27). Quidquid sit de aliis ac-

ci-

(27) In II. Sent. Dist. 17. §. 16. art. 10.

cidentibus , circa quae verum fortassis illud perantiquum axioma erit.

Ad tertium respondendum iuxta diuersam Philosophorum opinionem . Qui enim praeter animam hominis aliam nullam agnoscent , a corporis figuraione , et dispositione distinctam , haud admittent illam practensem animae brutorum perfectionem : nam licet figuratio illa , et dispositio perfectio corporalium rerum dicatur ; in modificatione tamen materiae , non in productione nouae substantiae posita illa est . Materiam autem disponere singula possunt quae mouentur . Sed rationalis substantia non est corporalis materiae dispositio ; quem , licet materia elaboretur , nequeat inuisibilia , et diuina percipiendi esse principium . Hac Philosophi non contemnendi .

Verum Peripatetici ad educationem formarum ex praexistentie materiae recurrent , aluitque , animam sensitivam neque existere , neque munus aliquod posse exercere nisi dependenter a corpore ; unde de materiae potentia potest educi . Sed anima rationalis , quem a materia non sic dependeat , nequit ex subiecto praexistenti educate . Hac vtraque via propositum sophismi solutur .

Quod quarto loco oblicitur , etiam diuersimode a Philosophis soluitur . Qui enim in animalibus nullam aliam animam sensitivam agnoscent praeter quandam muscularum , spirituum , artuum , fibrae rumque dispositionem , et praeter subtiliores sanguinis partes , quibus corpora apte disposita mouentur , falsum existimat , vnam eandemque esse in homine rationalem animam , sensitivam , et vegetatiuum . Vnde iuxta istorum principia , falsa est propositio minor , scilicet , homo generat animam vegetatiuum , et sensitivam , intellecta de substantia quadam spirituali , a corporali materia , eiusque modificatione seiuncta ; vera autem , intellecta de corporeis membris ab homine productis , quae dilatantur , et crescent , atque ad illorum commotionem praesens anima , quam Deus creavit , sensibilia percipit .

At Peripatetici dicunt , animam vegetatiuum , et sensitivam factu iam perfecto , et rationali anima adueniente , interire , quoniam haec illarum virtutem praecontinet , et sola mouere potest , et vitam corporalibus membris tribuere . Dicunt et ex iisdem aliis , tres simul animas in corpore eodem esse , e quibus vegetatiua et sensitiva traducuntur , rationalis autem creatur . Hac illi .

Vltimi solutio Scripturae textuum simplici , ac nuda expositione habetur . Atque in Genesi hoc tantum legitur , quod mulieris corpus de corpore Adae fuerit extractum ; nihil vero de animae traductio-

ne:

ne : ex quo certe , neque animam creatam fuisse , nec item fuisse propagatam idoneo argumento probari poterit . Dicitur tamen ibi mulier Virago , non quod sit anima de anima , seu de spiritu spiritus , sed quia caro de carne , et os de ossibus , ut in eodem versu dicitur .

Similiter adpellantur in Genesi filii Abraham , et Iacob animae eo loquutionis genere , quo illud quod continet , per id quod continetur significatur .

Tandemque illud Apostoli hanc habet intelligentiam , quod nimirum , Christus Dominus non fuit cum Leui decimatus in Abraham femore , quoniam in matris uterum per viri concubitum non venit , sed a Virgine absque semine conceptus est . Sed de his rebus philosophicis , satis dixisse videmur , cetera persequamur .

In tertio argumentorum genere illud occurrit , quod alter Augustinienses Theologi , alter alii soluntur . Primi illud declinant , dicentes , creationem in primo Genesis descriptam comprehendere Adamum et Ewam , quatenus facti sunt secundum rationem caussalem , in qua ambo continebantur . Etenim creationis dies referendos esse ad perceptiones Angelorum , directas ad res omnes unico momento creatas , vel in propria specie , vel in rationibus seminariis , Augustino sententia digna est , quam superius laudauimus . Itaque , pergit illi Theologi , quaestio hic instituta est de formatione hominis de limo terrae , quae in cap. II. narratur , neque pertinet illa ad opificium sex priorum dierum . Haec autem non est illa , qua fecit Deus hominem ad imaginem suam , et masculum ac foeminae creavit eos ; sed quo hominem de limo terrae formauit , Ewam autem aedificauit de costis eius . Ita pro omnibus Bertius (28) . Alii vero Theologi , qui simultaneam , return creationem non admittunt , respondent , sexta die creatum Adamum , ac in paradiso locatum fuisse , deinde immissum in eundem soporem ; subtractam vnam ex costis , aedificatam mulierem , illis demum benedixisse Dominum . Quae omnia ampliori narratione in cap. II. referuntur ; nam in I. capite presse dicta fuerant . Addunt in super , factum hominem ad imaginem Dei , quae in anima est sita , non in corpore : Quo illud fit , ita mulierem primam ad imaginem Dei fuisse , vt sunt homines ex ipsis utero propagati . Hoc pacto laudatissimi hi Theologi ab Augustini Eugubini argutis se expediunt .

Ad ultimum dicendum : nullum inde absurdum sequi , quod Euuae productio litteraliter accipiatur . Non primum quod obiectum fuit;

fuit; costam enim quam Deus in mulierem aedificauit non fuisse supernacanam; ac redundantem, illud suader, quod impares nunc quoque in homine inueniantur, quarum vnam pro formanda muliere substraxit Deus ex Adamo.

Non secundum: nam verba illa *non inueniebatur* idem significant, ac nondum fuerat productum: siquidem animalium irrationalium foemellae non sunt a Deo ex masculis factae; non enim opus erat tantum in bestiis reperiri necessitudinis vinculum, quantum vxorem inter et vitum reperitur. Si quae itaque in hoc admiratio et inquisitio deprehenditur, in Adamum solum cadit, non in Deum.

Sed neque tertium illud de duplice mulieris productione absurdum sequitur. Etenim in sententia maioris Theologorum chori vnicula fuit mulieris productio, vt supra ad Eugubinai argumenta dictum est; neque ad rem faet denuo producere.

Quid autem in S. Augustini discipulorum sententia dicendum? Nam et nos huic addicteros fatemur. Vel ipsis adtestantibus perdifficile est, quomodo facia sexta die fuerit foemina si tantum caussa liter conditus homo est, et quomodo homo Ipse ad imaginem Dei sit, nondum in specie visibili constitutus, et anima informatus, in qua ratio diuinac imaginis sita est, explicare. Sed obseruandum ex ipsorum doctrina, Angelos, Deo creaturas producente, lucis sempternae participatione perceperisse quid in inuolucris illis primordialibus lateret, seu quid successu tempore in propria specie foret formandum. Ergo viderunt illi terras limum, et perficiendum ex illo Adami corpus viderunt, cui Deus animam rationalem inspiratus erat, in qua diuina imago principaliter est posita. Et haec in se ipsis quoque conspexerunt extra cauasales rationes, posteaquam prima illa creatio praeteriit. In qua multa sunt commemorata, quae vt visibiliter fierent, morea temporales expecrandae erant. Sunt huiusmodi sexum distinctio, rationalis animae creatio, et quae secundo Gen. capite repetuntur: quae ad simultaneam rerum creationem non pertinere Theologi illi passim ostendunt, adnotantque. Sic opinionem suam, vel solo Magistri nomine gloriosam, explicant illi, atque defendunt.

Sed et duplē illam creationem tradunt, vt in anteacta soluione meminimus, nempe, et secundum caussalem rationem, et in specie propria. Atque cuicunque illam nondum percipienti haec Augustini verba dirigunt (28): *redeat ad Scripturam, et intenue-*

"scx-

(28) Lib. vi. de Gen. ad lit. cap. 6.

*"sexto die hominem factum ad imaginem Dei, factos autem masculum et foeminam. Item querat, quomodo facta sit foemina, inueniet extra illos sex dies. Tunc enim facta est, quando Deus de terra fixit adhuc bestias agri, et volatilia Coeli; non quando volatilia produixerunt aquae, et animam vitam, in qua et bestiae sunt, produxit terra. Tunc autem factus est homo, et masculus et foemina: ergo et tunc, et poste. Quaeret ex me, quomodo. Respondebo, postevisibiliter sicut species humanae constitutionis nota nobis est; non tamen parentibus generantibus, sed ille de limo, illa de costa eius. Quaeret tunc, quomodo. Respondebo, inuisibiliter, potentialiter, caussaliter, quomodo fiunt futura non facta."*

Quibus tandem et alia quae obiciebantur soluta sunt. Placet ramen pro pleniori intelligentia sapientissimum Chrysostomi monitum adiungere (30), nimurum: *"ne adeo verbis addicti simus, vt minime de Deo, vt par non est, sentiamus": quandoquidem dum dicitur: "accipit, et omnia talia proper nostram infirmitatem ita dicta sunt."* Non ergo, Chrysostomo monente, ita secundum litteram accipendum, Deum insufflasse, costam ex Adami latere tulisse, mulierem aedificasse, quasi et os labilis circumseptum, et manus pedesque corporeos Deus habeat; sed in omnibus his summa et omnipotens conditoris Dei virtus potissimum dignoscenda.

Et hacc dixisse sit satis pro Caietani argumentis soluendis, omnibus etiam aliis, quae hoc capite soluenda erant.

## CAPVT V.

*De imagine Dei ad quam homo factus est, agitur. Quaestio multiplex paucis absolvitur.*

Est quidem in homine imago Dei, sed imperfecta.

Ratio imaginis Dei, quac in homine est, in anima locanda videtur; quae vna existens et tribus facultatibus praedita, diuinarum personarum Trinitatem adumbrat.

**H**arum propositionum primam Mosis Historicorum omnium anti-Tom. II. quis-

(30) Homilia xv. in Gen.

quissimi libri testantur. Legitur enim Gen. i., dixisse Deum: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. . . . Creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum: masculum et foeminam creavit eos.* Eandem testantur et alia Scripturarum loca. Dicitur enim Sapient. ii. *Quoniam Deus creavit hominem inextirpabilem, et ad imaginem similitudinis suae fecit illum.* Item Ecclesiastici xvii. *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum.* Demum Apostolus i. ad Corinth. ait: *Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago et gloria Dei est.* Atque id etiam traditione Ecclesiae nobis comportum est; quam persequi longum esset.

Sed est homo imago Dei admodum deficiens, et imperfecta; vt illius ab aeterno Verbo distantiam possimus agnoscere. Ut enim habent plurima Scripturarum testimonia, Verbum solum naturalis atque perfecta Dei imago est; hocque illi peculiare est: Legitur enim in Epist. ad Col. i. *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturae.* Itemque ad Hebr. i. *Qui quum sit splendor gloriae et figura substantiae eius.* Sapientias autem vii. *Candor est lucis aeternae, et speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius.*

Homo vero etsi quandam Dei similitudinem referat, quia tam similitudo non est ad aequalitatem, quum summa Deum inter et hominem intercedat distantia; imperfecte solum imago Dei est: quod et Scriptura significat, quum dixit, factum hominem ad imaginem Dei.

Quoniam autem plurima sunt in homine, secundum quae ad imaginem Dei factus intelligi potest, vti plenus sequenti capite constabit, consulo secundam propositionem adiecinus, qua illum ad Dei imaginem factum secundum animam ostenderemus. Hanc autem esse communiorem PP. sententiam facillimum est evincere. Etenim Clemens Alexand. ait (1): *Hominem ad Dei imaginem esse factum: quoniam vti Deus ratione molitur omnia, sic homo, qui perfecta cognitione praeditus est, ex rationali facultate bonas et honestas actiones exequitur.* Hieronymus deinde habet (2): *Solus Deus est in quem peccatum non cadit.* Cetera enim, quum sint liberi arbitrii, iuxta quod et homo ad imaginem et similitudinem Dei facetus est, in utramque partem suam possunt flectere vo-

Jun-

(1) In vi. Stromaton.

(2) In Epist. 146.

*luntatem.* Damascenus autem (3): *Quod ad imaginem, inquit, factum in homine dicitur, intelligens significat, et liberum, ac sui iuris.* Sunt et alii plurimi, qui in hoc concordant. Sed Augustinum audiamus expressius alios loquentem (4): *Consideratis, ait, omnibus rebus, quas habet homo, inuenit, se eo proprio discretum a pecore, quod ipse habet intellectum.* Vnde quosdam contemnentes in se, quod proprium, et praeципuum a Conditor acceperunt, increpat ipse Conditor dicens: *Nolite fieri sicut equis, ne mulus, quibus non est intellectus.* Et alio in loco (5): *Non distas a pecore, nisi intellectu. Noli aliunde gloriaris: ergo melior es? Ex imagine Dei. Vbi imago Dei? In mente, in intellectu.* Augustino praeceps Ambrosius scribens (6): quomodo ad Dei vnius imaginem homo sit, his verbis: *Sicut Deus est, et vivit, et sapit: nam licet vnius illa naturae, tres tamen in se dignitates habet, intellectum, voluntatem, et memoriam; nam sicut ex Patre generatur Filius, et ex Patre Filioque procedit Spiritus Sanctus; ita ex intellectu generatur voluntas, et ex his item ambobus procedit memoria: et sicut Deus Pater, Deus Filius, et Deus Spiritus Sanctus est; non tamen tres dii sunt; ita et anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animae in toto corpore, sed una anima habens tres dignitates, atque in his tribus eius imaginem mirabiliter gerit in sua natura nostra interior homo.* Haec Ambrosius, quae, sicut et Augustini dicta, potissimum S. Thomas adoptauit.

## COROLLARIA.

Ex his sponte fluit, omnes omnino homines quoniam intelligentis naturae omnes sunt, ad imaginem Dei esse factos. Licet enim quae-dam in Scripturis testimonia sint, quae et foemini, et impisi, et aeterno interitu destinatis singulare hoc deus eripiant, prima, vt inquietum, facie; tamen S. Thomae intellecta doctrina facile explicantur. Sic autem ille scribit (7): *Quum homo secundum intellectualem naturam ad imaginem Dei esse dicatur; secundum hoc est maximum ad imaginem Dei, secundum quod intellectualis natura Deum*

X 2

mat-

(3) Lib. ii. de fide cap. 124.

(4) Tract. in Psalm. LIV.

(5) Tract. iii. in Ioan.

(6) In lib. de dig. cond. hum.

cap. 11.

(7) Prima parte, quae. xciii. art. 1.

maxime imitari potest. Imitatur autem intellectualis natura maxime Deum quantum ad hoc , quod Deus se ipsum intelligit et amat : vnde imago Dei tripliciter potest considerari in homine. Vno quidem modo secundum quod homo habet aptitudinem naturalem ad intelligentium , et amandum Deum : et haec aptitudo consistit in ipsa natura mentis , quae est communis omnibus hominibus. Alio modo secundum quod homo actu vel habitu Deum cognoscit et amat , sed tamen imperfecte : et haec est imago per conformitatem gratiae. Tertio modo secundum quod homo Deum actu cognoscit , et amat perfecte : et sic attenditur imago secundum similitudinem gloriae. Vnde super illud Psalmi iv. v. 7. : *signatum est super nos lumen vultus tui Domine* , Glossa distinguit triplicem imaginem , scilicet , *creationis* , *recreationis* , et *similitudinis*. Prima ergo imago inventur in omnibus hominibus ; secunda in iustis tantum : tercia vero solum in Beatis. Quia quidem Doctoris Angelici doctrina , testimonium illud Paulli , scilicet : *Vir est imago Dei* , mulier autem est *imago viri* , hanc admittit expositionem , quod quam foeminae eiusdem cum maribus naturae sint , et mente polleant , et in eis quoque imago Dei est : sicut ait ibidem D. Thomas: *Quantum ad id in quo principaliter ratio imaginis consistit, scilicet, quantum ad intellectualem naturam* : Vnde Gen. i. 27. quum dixisset , *ad imaginem Dei creauit illum* , (scilicet hominem) subdidit : *masculum et foeminam creauit eos*. Et dixit pluraliter eos vt Augustinus dicit lib. 3. sup. Gen. cap. 22. ne intelligatur in uno individuo uterque sexus fuisse coniunctus. Sed quantum ad aliquid secundarium imago Dei inuenitur in viro secundum quod non inuenitur in muliere. Nam vir est principium mulieris , et finis , sicut Deus est principium et finis totius creaturæ. Vnde quum Apostolus dixisset , quod *vir imago et gloria est Dei* , mulier autem est gloria viri , ostendit , quare hoc dixerit subdens : *non enim vir est ex muliere, sed mulier ex viro, et vir non est creatus propter mulierem, sed mulier propter virum*. Aliter hoc idem Apostoli testimonium exponit S. Thomas alibi (8).

Illud praeterea ex dictis flait , peculiare hoc , propriumque hominis esse decus , ad imaginem nempe Dei creatum esse ; scribit siquidem Augustinus (9) : *Excellit in homine, quia Deus ad imaginem suam fecit illum propter hoc, quod dedit ei mentem intel-*

(8) Lect. II. in Epist. Paul. ad Corinth. (9) Lib. VI. de Gen. ad litt. cap. 15.

lectualem ; quam praestat pecoribus ,<sup>10</sup> cet. Quae ergo mente et intelligentia carent , ad imaginem Dei non sunt : nam vt S. Thomas ait (10) , *non quaelibet similitudo, etiam si sit expressa ex altero, sufficit ad rationem imaginis . . . requiritur autem quod sit similitudo secundum speciem* , sicut imago Regis est in filio suo , vel *ad minus secundum aliquod accidentis proprium speciei, et praecipue secundum figuram* , sicut hominis imago dicitur esse in *cu- pro . . . Adsimilantur autem aliqua Deo, primo quidem, et maxime communiter, in quantum sunt; secundo vero, in quantum viunt; tertio vero, in quantum sapient, vel intelligent: quae, vt Augustinus dicit (11): ita sunt Deo similitudine proxima, vt in creaturis nihil sit propinquius: quare quum manifestum sit, specie similitudinem secundum ultimam differentiam attendi, solae intellectuales creature, proprie ad imaginem Dei sunt.*

At dices : eminent inter creaturem eiusmodi intelligentes Angeli, atque maiori intelligenti acumine praediti : proprius ergo illi , quam homines ad imaginem Dei facti dicendi sunt. Sunt qui illusionem hanc ultra fateantur , et admittant Theologi : quam nec nos inficiati audiems. Vnum tamen dicimus , hominem peculiariter ad Dei imaginem in Scripturis adseri prae corporeis aliis , et sensibilibus rebus , quarum ibi expressa mentio fit. Et hanc rationem nobis Philo Iudeus suggerit , qui post enumerata omnia sex dierum opera , haec subicit (12) : *post alia igitur omnia, vii dictum est, hominem refert ad imaginem Dei, et similitudinem esse factum: recte omnino. Nihil enim e terra natum Deo est similius homini.* Itaque solus ideo dicitur homo factus ad imaginem et similitudinem Dei , non quidem Angelis exclusus , sed iis omnibus , quorum ortum sex illis diebus Moses fuerat complexus. Cui quidem intelligentiae fauerit Basilius (13) dicens ; hominem solum ex iis , quae in terra sunt ad imaginem Dei esse factum , his verbis: *Ecquid aliud eorum, quae sunt in terra ad imaginem conditoris est factum?*

Forsitan tamen , addes , dinuniam imaginem , quin hominis propria dicatur , in toto homine ponendam esse. Id enim imago , vel ad imaginem Dei factum est , quod ideo se facere prouintiat Deus , vt esset eiusmodi , iisque verbis designat : *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* , et *praesit piscibus* cet. Sed neque

(10) Vbi supra art. 2.

(11) Lib. LXXXIII. quæst. q. 55.

(12) De Opif.

(13) In Psalm. 48.

que anima sola homo est , neque praesidet brutis , sed ex utroque temperatum animal , corpore scilicet et spiritu : totus ergo homo Dei imago est , quantumvis non eodem iure , nec pari perfectione huius imaginis ratio utroque insit . Vrger quam maxime hoc argumenti genus Dionysius Petauius (14) innumeris ferme Patrum testimonia congerens . Quod si ille id unum intendat , in corpore scilicet humano Dei imaginem reuelare , Patres reuera consentientes habent . Et quorum numero haec Augustinus tradit (15) : « omnium . . . animalium corpora , sive quae in aquis , sive quae in terra vivunt , sive quae in aere volitant , inclinata sunt ad terram , et non sunt erecta , sicut hominis corpus . Quo significatur etiam , animum nostrum in superna , id est , in aeterna , et spiritualia erectum esse debere . Ita intelligitur per animum maxime , attestante etiam creatura corporis forma , homo factus ad imaginem , et similitudinem Dei . » Si vero quid amplius velit , nempe , totum hominem imaginem Dei esse , atque ad illius imaginem factum , vano ille , irritoque labore frangitur . Quid tamen de illius sensu sit , nolumus accurate discutere ; ne erga hominem , alias bene audientem , nos saevire videamus . Patrum sensa tantum vindicamus ; atque in veram hoc pacto concordiam eos posse venire iudicamus . Sed de quaestione multifatiam intricata hactenus .

## CAPVT VI.

*Varias de hac rna re sententias memorat ; quibus in explicanda huius imaginis ratione Patres vti sunt.*

Licet enim antiqui Ecclesiae Patres imaginem Dei in sola hominis mente mira consensione constituant , maxima tamen inter illos varietas est in explicanda imaginis ac similitudinis huius ratione . Nam quibusdam visum fuit , hominem ad Dei imaginem factum , quod liber arbitrii sit , vt et summus hominis opifex Deus . Quam sententiam post Tertullianum adaptasse Hieronymum , Damascenum , aliosque Patres , Natalis Alexander , ait (1) , corundem testimonia referens .

(14) De Opif. sex dierum lib. 2. cap. 4.

(15) In Lib. 1. de Gen. contr. Mach. cap. 17.

(1) In Hist. Eccl. Vet. Testam. art. 7. prop. 2. ad primam mundi aetatem.

rens . Alii dixere , sitam rationem imaginis esse in immortalitate , aeternitateque , quae non solum menti naturalis est , sed et corpori post resurrectionem promittitur . Ita Faustus Reiensis , et Maximus Martyr sunt opinati . Chrysostomus , et Gregorius Nissenus in imperio , dominatusque eam collocant quem Deus homini mox ut illum creavit , in animantia quaque , vniuersumque terrarum orbem contulit . Gelasius autem Cyzicus in actis Synodi Nycaenae hanc Dei imaginem non in aliquo naturae bono , sed in vita sanctimonia reposuit ; in quam sententiam propendere videtur Ambrosius . Congruunt et cum hac opinione , qui imaginem Dei in Spiritu Sancti communicatione positam esse existimant : quorum unus Cyrilus Alexandrinus dicitur ; quotquot etiam amissam per primi parentis peccatum imaginem Dei a Christo restitutam esse , Spiritu Sancto infuso , sentiunt . Epiphanius denique , ne omnes numeremus , sentit , diuinae huius imaginis rationem frustra perquiri : neque enim in anima , neque in virtute , neque in baptismo , neque in quoquis alio nobis explorato bono statuenda est , sed in aliquo nobis hactenus incomperito , quod nec explicari potest . Qui plura desideret aeadat Petauium (2) . Non enim abuti otio nobis datur .

## CAPVT VII.

*Agitur de primi hominis originaria integritate.*

Primus homo cum gratia gratum faciente creatus est : neque tamen fide id certum videtur .

Praeter sanctificantem gratiam etiam actualem Deus illi impertitus est .

P riorem quidem sententiam sacrae in primis litterae videntur innovere . Praeter ea enim quae de Angelorum productione agentes adduximus , extar Pauli testimonium ad Ephesios iv. dicentes : *renovamini spiritu mentis vestrae , et induite nouum hominem , qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis* . Qui vero renovatur ad pristinam conditionem reuertitur , vt exploratum est :

(2) De Opif. sex dierum lib. II. cap. 2.

est : ergo prior hominis conditio in iustitia et sanctitate veritatis fuit.

Scripturae accedit Concilii Tridentini definitio Sessione v. Can. 5. his verbis expressa : »siquis non confiteretur , primum hominem Adam cum mandatum Dei in Paradiso fuisse transgressus ; statim sanctitatem , et iustitiam in qua constitutus fuerat , amississe . . . . ana- thema sit.«

Deinde hanc fuisse Augustini mentem innumeris possemus ipsius testimoniois commonstrare. Sed unum tantum producemus ; illud scilicet , quo , praeter adiutorium sine quo , primo homini bonam voluntatem fuisse collatam tradit (1). Ait enim : »tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem , in illa quippe eum fecerat , qui fecerat rectum. Dederat et adiutorium , sine quo in ea non posset permanere si veller.« At gratia in qua potest quis manere , si velit , gratia sanctificans est : huiusmodi ergo gratia primum hominem Deus exornauit. Augustino autem praeiure ali Patres , de Angelorum productione potissimum loquentes , quorum vna , eademque cum Adamo innocentie habenda ratio. Ex his Basilius , Damascenus , Hieronymus limpidissimis verbis loquuntur.

Tandem adiungenda ratio , alias forsas adducta : enim creaturae sensibili , corporeaeque statim a principio inditae sunt seminales rationes omnium naturalium effectuum , vt Philosophi loquuntur ; seu quod in idem venit , creator eis formam , agendae virtutem tribuit , comparet ad ea , ad quae vniuersalis prouidentiae ordine referabantur. Quum ergo primus hominum propter beatitudinem creatus fuerit , cuius semen gratia sanctificans est , illa a principio suae creationis a Deo exornari oportuit. Argumentatur ita S. Thomas (2).

Verum enim vero , id nequit quan certum esse tamquam diuina fide credendum , secundo loco firmare debemus. Contendit oppositum Iansenius de gracia primi hominis loquens , ob adlatam supra Concilii Tridentini definitiōnēm. Sed infirmo nimis inualidoque nititur ille fundamento : quod Estius in hunc modum eneruat (3) : »aliud est creatum esse in sanctitate et iustitia , aliud in ea constitutum. Constitui enim in ea potuit post creationem. Nam et in Paradiso constitutus , id est , positus fuit primus homo Gen. ii. non tamen

min

(1) Lib. de Correp. et Grat. cap. 11,

(2) In ii. Distinct. 25.

(3) Quæst. LXII. art. 3.

»In eo creatus. Vnde satis liquet , Patres Concilii Tridentini dum ita circunspecte loqui sunt , vt constitutum dicent , non creatum , aut conditum , studio voluisse abstiner a quæstione definenda inter Catholicos disputata , an homo fuerit creatus in gratia.« Gaspar vero Iueni addit (4) , deletam sacrae Synodi iussu fuisse vocem conditum a Canonis editoribus primum insertam. Nec desunt , qui contendant , Concilium vocibus illis , iustitiam et sanctitatem veritatis , non intellexisse habitualē gratiam , sed rectitudinem originalem , quam in recto rationis ordine consistere existimant , nullo concupiscentiae motu relutante ; nec non in libero arbitrio gratia actualli suffulto ; quam quidem rectitudinem ob primum peccatum vere perdidimus ; quam remaneat perpetua concupiscentia ad agonem , quæ ex peccato est , et ad peccatum inclinat , vt verbis eiusdem Concilii Tridentini loquamus.

Denique Cardinalis Pallavicinus testatur (5) : Patrum consilium fuisse »se prorsus abstinere a superuacaneis articulis , ab illis nimis , qui Catholicas inter Scholas in dubitatione versantur , . . . nec enim Synodus collecta fuerat ad decidendas opiniones , sed ad errores re-scindendos.«

Quod vero iudicium de Canone xix. Concilii Arausicanī n. ferendum? Adducit illum Bellarmus (6) , vt primam hominis conditionem in gratia definitam probet. Nostro tamen iudicio superuacanea , atque iniutiliter. Quod vt pateat , Canonis verba apponamus. »Natura humana eriānsi in illa integratè , in qua condita est , permanet , nullo modo se ipsam , creatore suo non adiuuante , seruaret. Vnde quum sine gratia Dei salutem non possit custodire quam accepit ; quomodo sine gratia poterit reparare quod perdidit?« At ista verba hoc vnum suadent aduersos Pelagianos , necessitatem scilicet , gratiam actualem esse ad salutem consequendam , viresque reparandas ad diuinam paecepta ut oportet seruanda , ob Adami culpam derperitas : minime vero quod aduersari contendunt.

Ceterum praet̄ sanctificantem gratiam , Adamo actualem etiam collatam fuisse Augustini auctoritas firmiter suadet ; qua secundam positionem munite pergitus. Scribit enim ille de primo homine (7) :

Tom. II.

Z

»sti-

(4) Lib. III. Institut. Dissert. 3.  
quæst. 1.

(5) Lib. VII. Hist. Concilii Tridentini cap. 10.

tini cap. 10.  
De Gratia primi hom. cap. 3.  
In Ench. cap. 106.

»stitiae retinendae sufficiebat liberum arbitrium , nisi participatione  
»immutabilis boni diuinum adiutorium praebetur.« Et alio in loco  
(8) : »natura humana , inquit , si in illa integritate , in qua condita  
»est , permaneret , nullo modo se ipsam , Creatore suo non adiuuante,  
»seruaret.« Ex Augustini ergo sententia praeter iustitiam et integratatem originalem Deus primo homini etiam adiutorium largitus est , vt  
persecurare in bona voluntate et sanctitate posset. Confirmat id ipsum  
S. Doctor vbi scribit (9) : »tunc ergo dederat homini Deus bonam vo-  
»luntatem ; in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum. Dederat et  
»adiutorium , sine quo in ea non posset permanere , si vellet.« Quibus  
verbis apertissime distinguit Augustinus voluntatem bonam , ac  
originalem rectitudinem ab adiutorio sine quo non , siue possibiliteris ,  
aut sufficientis gratiae.

Ratio quoque , eaque multiplex , accedit. Nam vt habitus actus  
stos exerceant , excitandi illi sunt , et exercendi : ergo primus homo  
aliqua gratiae praemotione et excitatione indigebat , ut caritatis habi-  
tus in actu exiret : non enim satis illi erat conseruatio , et simultaneus caussae prime concursus ; quoniam iste , vt docent Theologi ,  
non caussam mouet ad operandum , sed operantem comitatur , et adiuuatur.

Deinde : quantumuis sanus oculus sit , lucis candore indiget , vt  
videre possit : anima igitur quantumuis recta et sancta sit , superna  
actualis gratiae illustratione eget , vt actus supernaturalium virtutum  
possit exercere. Hoc argumentum tradit Augustinus , vbi scribit (10) :  
»sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus , nisi candore lucis  
»adiutus , non potest cernere ; sic homo etiam perfectissime iustifica-  
»tus , nisi aeterna luce iustitiae diuinitus adiuuetur , recte non potest  
»viuere.«

Hanc vero gratiam actualem primo homini collatam , Theologi nonnulli in sola mentis illustratione constituant. Pro qua Augustinum luculentius disputasse aduersus Pelagianos demonstratum est. Sed con-  
troueritur insuper inter Catholicos , an gratia Christi dilectionem etiam inspiratae praemotione quadam indifferenti , an congrua , an ab intrinseco efficaci , et victrici. Hanc postremam tamquam Sancti Thomae discipuli propugnamus ac defendimus , in quo et Augstinenses consentientes habemus : ita tamen , vt in hoc statu etiam gratiam suf-  
fi-

(8) Epist. cvi. ad Paulinum .

(9) De Corrept. et Grat. cap. II.

(10) In lib. de nat. et grat. cap. xxvi.

ficientem , quae pugnandi et vincendi virtutem dat , sed a duris corde respuitur , contra recentiores haereticos ad seruamus. Atque hoc pacto latissimam nos inter gratiam Conditoris , et Redemptoris inuenimus differentiam , quam Theologi alteri sententes inuenire non possunt ; scilicet , quod in hoc statu gratia praemouet ad hoc vel illud bonum particulae , inspiratque determinatam delectationem ; et haec delectatio nunc effectum consequitur ; et supra carnalem concupiscentiam exercet certamina gloria , et est gratia efficax ; nunc vero a praua cupiditate ipsa vincitur , et oppugnat , et est adiutorium sufficientis. Ex quibus tandem illud eruitur quod gratia primo homini collata erat mentis illuminatio , et voluntatis in bonum inclinatio. At de his fortassis alibi dicemus.

### C A P V T VIII.

*Objectiones in contrarium soluuntur.*

Qui Adamum sine gratia creaturam existimant , sic argumentantur: Apostolus i. ad Corinth. cap. 15. ait : *factus est primus homo in antimam viuentem , nouissimus Adam in spiritum viuificantem* : ex Apostolo igitur Christus in sanctitate et iustitia creatus est , non ita primus homo. Confirmans argumentationem ex eo quod Augustinus vtrit hoc Pauli testimonio (1) , ad probandum , tunc spiritualem Adam esse effectum »quum , ut ipse loquitur , in Paradiso , hoc est , in beata vita constitutus , praeceptum etiam perfectionis accepit , vt verbo Dei consumaretur.« Quin et eos refellit (2) , qui putant primum hominem in sua conditione Spiritum S. accepisse. Ergo et ex Augustini doctrina Adamus sine gratia fuit creatus.

Deinde arguunt : primum hominem in gratia sacrificante non suis se conditum vel illud suadet , quod alias beatior esset ille quam iustus in statu naturae lapsae ; quod falsum omnino est.

Similiter , solam gratiam sufficientem Adamum in eo statu habuisse , Augustinus insuper tradit , ubi scribit (3) : »prima gratia est , quae fit , vt habeat homo iustitiam , si velit.« Adamus ergo poterat huiusmodi habere iustitiam , sed non habuit. Tradit similia passim (4).

Z 2

Con-

(1) In Lib. II. de Gen. contr. Ma-  
nich. cap. 8.

(2) In Lib. quæst. Vet. et Novi  
Testam. quæst. 123.

(3) De Corrept. et grat. cap. 11.

(4) Lib. XII. de Gén. Dei. cap. 9. et  
de Corrept. et grat. cap. 10.